

**PROCEDIMIENTOS SELECTIVOS DE INGRESO, ACCESO Y  
ADQUISICIÓN DE NUEVAS ESPECIALIDADES EN LOS CUERPOS DE  
PROFESORES DE ENSEÑANZA SECUNDARIA Y PROFESORES  
ESPECIALISTAS EN SECTORES SINGULARES DE FORMACIÓN  
PROFESIONAL**

Página 1 de 2

Orden EDU/1406/2023, de 4 de diciembre (BOCyL de 12 de diciembre)

CUERPO:	0590 PROFESORES ENSEÑANZA SECUNDARIA
ESPECIALIDAD:	003 LATÍN
PRUEBA:	TEXTO EN PROSA PARA SU TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO Y COMENTARIO SINTÁCTICO-ESTILÍSTICO, SOCIOCULTURAL O HISTÓRICO SEGÚN LAS CARACTERÍSTICAS DEL AUTOR.
TURNO:	5

**Walter C. A., Ker, M. A., Ed., Cambridge Harvard Univ. Press, 1957**

*O C. Caesar (adulescentem appello), quam tu salutem rei publicae adtulisti, quam improvisam, quam repentinam! Qui enim haec fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim in contione dixerat se custodem fore urbis seque usque ad Kalendas Maias ad urbem exercitum habiturum. O praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum! Custosne urbis an direptor et vexator esset Antonius? Et quidem se introitum in urbem dixit exiturumque, cum vellet? Quid? Illud nonne audiente populo sedens pro aede Castoris dixit, nisi qui vicisset, victurum neminem?*

*[28] Hodierno die primum, patres conscripti, longo intervallo in possessione libertatis pedem ponimus, cuius quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conservator fui. Cum autem id facere non possem, quievi, nec abiecte nec sine aliqua dignitate casum illum temporum et dolorem tuli. Hanc vero taeterrimam beluam quis ferre potest aut quo modo? Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus vitiis conglutinatus est. Nihil appetet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudicum. [29] Quapropter, quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille poenas rei publicae luat, an nos serviamus, aliquando, per deos immortales, patres conscripti, patrium animum virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam Romani et generis et nominis reciperemus aut mortem servituti anteponamus! Multa, quae in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus, alii spe forsitan reciperandae libertatis, alii vivendi nimia cupiditate; sed, si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coegit, quae vis quaedam paene fatalis, (quae tamen ipsa non tulimus) etiamne huius impuri latronis feremus taeterrimum crudelissimumque dominatum?*

[30] *Quid hic faciet, si poterit, iratus, qui cum suscensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoram tanta scelera post Caesaris interitum fecerit, refertam eius domum exhauserit, hortos compilaverit, ad se ex iis omnia ornamenta transtulerit, caedis et incendiorum causam quaesierit ex funere, duobus aut tribus senatus consultis bene et e re publica factis reliquas res ad lucrum praedamque revocaverit;*

**3. TEXTO EN PROSA PARA SU TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO Y COMENTARIO SINTÁCTICO-ESTILÍSTICO, SOCIOCULTURAL O HISTÓRICO SEGÚN LAS CARACTERÍSTICAS DEL AUTOR.**

1. Traduzca el fragmento propuesto.
2. Realice un comentario sintáctico de las partes subrayadas.
3. Comente las características estilísticas y referencias histórico-sociales, que le permitan identificar el autor y/o la obra a la que pertenece el fragmento dado.